

Væ mihi, si non evangelizavero.

Léctio Epístolæ primæ beāti Pauli apóstoli
ad Corínthios

9, 16-19. 22-23

Fratres:

¹⁶ **S**i evangelizávero, non est mihi glória;
necéssitas enim mihi incúmbit.

Væ enim mihi est, si non evangelizávero!

¹⁷ Si enim volens hoc ago, mercédem hábeo;
si autem invítus, dispensátio mihi crédita est.

¹⁸ Quæ est ergo merces mea?

Ut evangélium prædicans
sine sumptu ponam evangélium,
ut non abútar potestáte mea in evangélio.

¹⁹ Nam cum liber essem ex ómnibus,
ómnium me servum feci,
ut plures lucri fácerem.

[20-21]

²² Factus sum infirmis infirmus,
ut infirmos lucri fácerem;
ómnibus ómnia factus sum,
ut áliquos útique fácerem salvos.

²³ Omnia autem fácio propter evangélium,
ut compárticeps eius efficiar.

Verbum Dómini.